

No. 1^{te} Vol. II.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
POSTERIOR,

De

ATRIIS,

Quam

PRÆSIDE

M. JOANNE BALTASARE
BEYSCHLAGIO,

Halâ Svevo,

publicè defendet

M. JOH: PHILIPPUS APINUS,

Oringa Francus,

WITTEBERGÆ,

Ad diem XVII. Jun. Anno M. DC. XCI.

IN AUDITORIO MIN.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

LXV



O. P. V.

DISSERTATION
POSTERIOR

A
T
R
I
S

PRÆSIDE

M. JOANNI BALTAZARE

REYSCHELAGO

ILLUSTRISSIMO

ALPHONSO

GRÆGÆ

WITTEBERGÆ

IN AUSTRIÆ

IN AUSTRIÆ

WITTEBERGÆ

THE CHRISTIAN

— 27 —





F. N. F.



Um argumentum nostrum *de Atriis* nobile, per leges Academiae salutares, quae sanctae nobis semper sunt, absolvi unam Dissertationem non potuerit; (tanta enim est ejus gravitas pariter & copiosa materies, ut intra angustos pagellarum aliquot limites coartari minimè queat;) necesse esse, duximus, posteriorem de eodem themate proponere in praesens dissertationem, in eaque nonnulla, quae ad pleniorum Atriorum notitiam videntur facere, divino freti Numine, succinctè ut par est atque pro facultate virium mediocri sistere ob oculos.

IX.

Evolvimus hactenus varia *Atriorum* nomina, consultis hanc in rem Scriptoribus atque vetustioribus Graecis Latinisque ac recentioris aevi, sententias eorundem diversas hac in quaestione; *quid propriè videlicet sit atrium?* adduximus. Videamus porro nunc auctorem eorum primum atque inventorem; varia atriorum investigemus genera, inquiramus in multiplices atriorum usus; denique custodes horum explicemus nonnihil, & ex antiquitatum eruamus monumentis.

X.

Atria quemadmodum non unius erant generis, sed vel sacra, vel profana, vel aedis alicujus divinae vel Palatiorum regionum, aliorumque splendidiorum aedium praecipuae partes; ita non unum eundemque agnoscunt Auctorem. Causa quidem hominum in societatem cur coirent, urbes atque aedificia extruerent, ipsa humanitas est, & fuga solitudinis à natura insita (mm) ab eaque proveniens necessaria sui conservatio. (nn)

A 2

Ne-

(mm) Lactantius *div. Inst. L. VI. de Vero (Dei) cultu c. 10.*

(nn) Tullius *Offic. L. I. c. 3.*

Negari tamen nequit, DEum Ordinis & Naturæ conditorem hujus etiam rei primum fuisse Auctorem. *Hospinianus* certe (oo) *Gyraldus* (pp) *Dempsterus* (qq) aliiq; cum in evolvenda Templorum origine causaq; efficiente sunt solliciti varias adducunt sententias, in præsentis minimè huc transcribendas. Arridet nobis *Polydorus Vergilius* qui DEum primi Templi primum veneratur Auctorem. (rr) Et, si atria in primis respicias divina, ab eo solo mandante & cooperante esse profecta, oppidò dicendum est. *Moses* quippe miraculoso in monte *Sinai*, per quadraginta dies sustentatus modo, ab ipsomet DEO & formam & figuram atrii istius Tabernaculi hausit, atq; deinceps artificibus, præter naturales ingenii vires ad elaborandas structuras has à divino instructis Numine (ss) conficiendam seriò mandavit; successu adeo felici, ut omnia juxta normam voluntatemq; suam perfecta essent. (tt) De Atriis verò, quæ in Templo comparuere Salomoneo, eò minùs dubitandum, quò magis certum est, Regem hunc divino, per Parentem mandato instinctum, sapientiãq; omnem humani ingenii excellentiam longissimè superante à Deoq; ipsomet, precibus exorato submissis, inspiratà, instructum, ad exemplum Tabernaculi quodammodò suam mirandam condidisse molem, Numiniq; altissimo dedicasse solenni ritu formulãque consecrasse. (uu)

XI.

Nec est quòd *Templum* secundum, *Serubabelicum* *Efra* ductu instauratum atq; *Nehemia*, excipiamus hic, quando non solum in eo pleraq; omnia (xx) primæ conformata ædi *Salomonis*,

(oo) *de Origine Templorum.*

(pp) *in Historia Deor. Syntagm. 17.*

(qq) *in Paralipom. ad Rosinum.*

(rr) *de Rerum Invent. L. V. c. 6.*

(ss) *Exod. XXXI.*

(tt) *Exod. XXVI. 33. XXVII. 6. XL.*

(uu) *I. Reg. XXIX. 6. 10. II. Reg. VI. II. Chron. III.*

(xx) *Ex antiquitate enim Hebraica colligitur differentiam quandam inter structuram Templi. I. & secundie. g. pa-*

monis, sed & jussu instinctuq; divino sunt peracta; quod ex historia ædificationis hujus Templi Urbisq; sanctæ abunde constat: (yy) quò pertinet mentio haud rara atriorum, quæ fit in N. T. ut supra probatum. (zz) Idcirco tamen non diffitemur, diaboli postmodum astutiâ & arrogantia factum esse, ut hæc ædificiorum diviniorum ratio ad Tempia etiam & delubra Deorum Dearumve, (in quorum superstitioso cultu proprium affectavit non solum, sed & pro voto obtinuit honorem,) applicata & apud Gentes fuerit usitata, quem enim ad modum Tabernaculum fœderis tribus constiterat partibus, ab ipso artifice supremo DEo manu Mosis delineatis, atrio videlicet quod secundum longitudinem 100, latitud. 50. cubitorum erat; (2) sancto, longo cubit. 20. & sancto sanctorum: ita κακοζηλία Satanæ in imitandis Templi partibus accidit, ut tres Capitolii veteris partes essent, *Ante Cella* *ἔξω* *δομοῦ* *⊙*, *Post cella* *ὀπίσθου* *⊙*, mediaque, ubi DEi cella est, quam hodie vocamus chorum; quod ex Turnebo Victoris locum allegante monuit Excell. KIRCHMAJERUS, *Patronus & Hospes noster æternim devenerandus.* (α) Mitiùs paulò de origine atriorum profanarum ædium crediderim statuendum; eò quòd hæc pro ratione locorum, conditione temporis ac populorum inventa ultima etiam sapiant secula ab Atriatibusque populis Etruriæ antiquissimis in Italiam introducta Regum Proce-

A 3

rumque

ries in 1. Templo inter Templum erat & sanctum sanctorum ad unius cubiti sacri (qui 6. palmos habebat sumpto pro 4. digitis palmo) crassitiem & velum unum; in secundo duo vela ante sanctum sanctorum suspensa & inter illa relictum spatium unius cubiti; quinque præterea res deerant in Templo secundo, quæ fuerunt in 1. Ignis Cælestis, Arca fœderis, Urim & Thummim, Oleum unctionis, ac Spiritus Propheticus, & alia plura vid. Maimonides de Domo Electa c. 4. n. 2. Thalmud Hierosolymit. tit. de Jejuniis. R. D. Kimchi in Psal. LXXXV. v. 9.

(yy) Esr. I. & VI. capp.

(zz) in Dissert. priori. §. 3. & 5.

(α) in Lection. publ. de Templis philolog.

rumque deinceps aulis & palatiis splendorem æquè ac utilitatem nõ minimam conciliaverint, tanto tandem cum successu exstructa ut privatorum quoque de plebe hominum ædes suis gavisa atrii, atriolis insuper (β) ansam dederint recentioribus retinere eadem ad ornamentum pariter & commodum, unde factum quod tot tantaque atria ubivis locorum in hodiernum usque diem sint conspicua.

XII.

Atria nunc ab ipso DEo ut construerentur, mandata, brevibus tamen succinctisque enarrabimus verbis, quorum evolutio ut implicata magis est & difficilis; sic major in eadem collocanda esset opera; nisi de his ex instituto agere hoc loco animo minimè sederet. Tabernaculum videlicet ipsum suo haudquaquam destituebatur atrio, quam in rem divinus allegari Codex meretur (γ) post quem vid. *Dietericus* (δ) Sunt quidem, qui plura allegant ejusdem atria; neque tamen ita, ut in Templo *Salomoneo* distincta fuerunt, neque eadem res, ut in his, sic in illis peractæ memorantur. Ex quo colligere integrum est, unum tantummodò fuisse *Tabernaculi atrium* functionibus destinatum idoneumque sacerdotibus. At Templum à *Salomone* nomen sortitum in excelsoque *Moria* exstructum monte quatuor ostendebat ascendenti Atria, quæ areæ erant, muris sub aperto cælo conclusæ. Omnium maximum idque externum *Atrium Gentium* erat, in quod omnes admissi, Gentiles quoque, quod viam sternebat ad *Antemurale*, ita dictum, quod locus esset ante murum reliquorum. (ε) In hoc ipso Gentium Atrio sanctiori *Solymorum* urbe, quia in hoc non ingrediebantur fluxu laborantes, emebantur

ac
(β) Quod ex Cicerone supra *Differt. I. demonstratum Orat. ad Quint. frat.* Solebant tamen atriola non nisi in his ædificiis fieri in quibus est atrium majus nec habere poterat adjuncta cubicula & ejusmodi membra.

(γ) *Exod. XXVII. 9.*

(δ) p. 200. edit. fol. in *Antiquit. Bibl.*

(ε) *Thr. II. 8.*

ac vendebantur quæ sacrificiorum cultui, ut & offerendis in-
servirent muneribus: quam etiam ob causam eadem area
continebat mensas Numulariorum tredecim, totidemque
arcas, *Maimonide* docente. (ζ) Per Antemurale aditus patebat
ascendentibus in *Atrium*, à *mulieribus* vocatum, quò conflu-
bant ad fundendas preces; ex eoque Christus dicitur eiecisse
Numularios. (η) Sequitur *Atrium Populi* seu *Israelitarum* do-
centium discentiumque usui dicatum, ipsâque *Christi* & *A-*
postolorum doctrinâ cœlesti repletum sapius; ne verò ad-
stantes tempestatibus aeris obnoxii essent, hocque modo ar-
dor ad divina audiendum oracula impedimentum pateretur
aut extingveretur, *Portico* in lateribus ejus atrii fabricatæ, & ex
candido marmore ad artis regulas eleganter elaboratæ, la-
queariis insuper Cedrinis tectæ erant, ut ab imminente
pluvia, qui aderant, tuti essent, testante hoc *Constant. L' Empe-*
reur. (θ) Gaudebant denique *Sacerdotes* proprio suo *atrio*, in
quo maximam partem sacrificia muneraq; DEo oblata, altare
etiâ sacrificiorû; sanctitate suâ hoc reliqua antecellebat atria;
Civi quippe *Israelis* haud licitum erat, sacerdotum intrare a-
trium, nisi cum victimis imponere manus vellet, vel easdem
agitare mactationique vel expiationi deberet adesse. Quæ
singula copiose juxta ac erudite ex *Rabbinorum* monumen-
tis declarat *Celeberr. Prof. Dassovius, Patronus & Præceptor no-*
ster observanter colendus, in, de Antiquitatibus Hebr. Collegio
MSEto. (ι)

XIII.

Templa verò à Christianis quarto demum condita se-
culo,

(ζ) *de Domo electa c. 5. 6. 7. & de Siclis c. 1. n. 9.*

(η) *Luc XIX. 45.*

(θ) *in Tractat. de Mensuris Templi.*

(ι) *Part. I. c. 1. & 2. Recenset quoque atria hæc D. Koenigius in Theol.*
Posit. P. III. de lege Cerem. §. 665. p. 226. adductis Scripturæ lo-
cis, sed juxta nonnullorum sententiam atrium sacerdotum
sum Sanctuario seu Templo stricte dicto, nec non Judæo-
rum seu Israelitarum Atrium cum porticu Salomonis vi-
detur confundere, quæ tamen distincta inter se loca erant, ut
alibi demonstratur.

culo, (κ) suis an instructa fuerint atriis? in disceptationem solet venire. Illud cum veritate consentit tres in partes Templum Veterum divisa fuisse; quarum prima Ναός seu *ἄντρον* Anti-Templum, extra ædem Sacr. ante eamque conspicuum, alio nomine *ἄντρον* seu Vestibulum dicebatur; ingressum parans accedentibus locusque lapsorum & pœnitentium, nec non Catechumenorum, unde & Catechumenium audit Paulo Diacono in historia Romana, Eutropio adjuncta. (λ) Hunc ipsum Narthecem porticum ad portas templi sitam Hildebrandus appellat; in qua porticu (in der Halle des Tempels ut Lutherus vertit Joh. X. 23.) steterint Catechumeni, nec non infideles, Judei ac pagani, quod hi ab Ecclesia essent extranei, imò & heretici. (μ) Sunt tamen non pauci, qui pro porticu *ἄντρον* habere sustinent nequaquam. Sequebatur altera Templi pars, *ἄντρον* nuncupata, in qua tanquam Templo propriè sic dicto fideles stabant laici, distinctis tamen locis Viri, à mulieribus collocati; Epi-

(κ) Quod peritissimi Antiquitatis Ecclesiastica Viri prolixè demonstrant, inter quos Dalæus quoque in Libris de Cultibus Latinorum religiosus, contra Fullerum Anglum existimantem inde ab Apostolorum temporibus originem templorum Christianorum arcessendam esse, quod antiquitatum monumentis omnino contrarium, & Patrum Ecclesiæ testimoniis stabiliri nequaquam potest.

(λ) L. XXII.

(μ) Dissert. de Priscæ Ecclesiæ Sacris publ. Templis & diebus festis. c. 2. cui pollicem premit Cl. Pfannerus libro de Catechumenis antiquæ Ecclesiæ cap. 2. p. 68. seq. qui multos alios allegat Auctores; horum verò si sententiam amplecteremur, dicendum foret *ἄντρον* hoc fuisse atrium, quandoquidem pro roboranda eadem allegatur Ps. LXXXIV. 11. ubi David asserit, meliorem esse unum diem in atriiis Domini, in den Vorhöfen quam alibi mille. Porticus vero & atrium diversa inter se sunt juxta demonstrata superius, vel ipso B. Luthero teste, qui porticum transcripsit Halle, atrium vero Vorhoff, idque quam plurimum.

Episcopis denique & sacri ordinis Viris tertia adscripta pars
ἑννα dicta & τρισιασίων quo in *bemate* altare unum aut plura
etiam, sacris actibus & ministeriis destinata; ambo item & se-
dilia erant, quod ex *Zonara*, *Balsamone* aliisque abunde liquet.
Plura hanc in rem adducta, deprehendes apud Excell.
SCHURZFLEISCHIUM, *Præceptorem nostrum etatem colen-*
dum. (v) Omnes hæc Templi partes, si in strictiori sensu sum-
tur atrii vox, nomen hoc vindicare sibi neutiquam possunt;
cum nec aperta sub cælo loca, nec primæ singulæ ædis sacræ
partes fuerint: Nihilo tamen minus *Dempsterus* (ξ) usque
adeo certus est, ut asserat, neminem esse qui ignoret Atrium
Templis adjici solitum, motus *Corippi Africani* (quem idem
edidit) versu.

- - *Apostolici subeuntes Atria Templi.* (ο)

Si videlicet laxiorem concedas significandi modum & simili-
tudini quicquam tribuas, non inficiamur, *Narthecem* atrii vo-
men & rem commode posse ferre. Interim id de *Secretario*
seu domo saluatoria Templo annexa affirmare merito dubi-
tamus, quoniam hæc non eos in usus, nec eundem in mo-
dum, ut atrium ædificata erat, verum Episcopo & Presbyteris
ad sacra facienda sese præparantibus, Laicorum negotia au-
dientibus, dirimentibus, & salutationum officia admittenti-
bus inserviebat, conf. *Eusebius* (π) *Theodoretus* (ρ) *Severus Sulpi-*
tius (σ) modoque laudati *Exc. Schurzsteischius & Hildebrand.*

XIV.

Recto jam tramite ad Atria sacra, quæ apud homines
superstitione captos reperire licet, progrediendum: Nullus,
opinor, erit, qui nesciat, in tantum crevisse apud Gentes, à ve-
ro DEO alienas, Idolorum cultum, ut vel rei minimæ procu-
randa,

B

(v) in *Colleg. Antiqu. Eccles. MSCto. cap. VII.*

(ξ) in *Paralipom. ad Rosini Antiqu. L. I. c. 13. p. 57.*

(ο) *L. III. n. 1.*

(π) *L. V. c. 17. H. E.*

(ρ) *L. III. de Vita Constantini M.*

(σ) in *Vita S. Martini L. III.*

randæ, aut conservandæ suum assignarent numen, eique ædem struerent, sacris faciendis consecratam. Dubiumverò haud est, suis quoque Tempia hæc adornata fuisse atriis, quod vel ex *Atrio Minervæ, Vestæ*, aliarumque Dearum Romæ religiose adoratarum colligere integrum est. Quo loco, quæve in regione sita hæc fuerint, post *Publ. Victorem, Barthol. Marlianum* (τ) exponit luculenter *Onuphrius Panvinius Veronensis* (υ) à B. Buchnero elogio *omnis antiquitatis peritissimi ornatus*. (Φ) Atria hæc sacra ipsis contigua templis separata non erant; nisi forte *Vestæ atrium* eximas, quod sejunctum ab æde sua concipit *Dempsterus, Servii* allectus auctoritate: qui quando *Mantuani* versum 153. (χ)

*Centum Oratores augusta ad Mœnia Regis
Ire jubet.*

exponere laborat, *Augusta mœnia Latini Regis* dicit esse augurio consecrata, quâ *Templum Vestæ* destituebatur consecratione, ne illuc conveniret Senatus ubi erant Virgines; ad *Atrium Vestæ* conveniebatur, quod à Templo remotum fuerat: *Cælius tamen Rhodiginus* (ψ) in contrarium it, statuendo, *Vestæ* hoc *Atrium* templo adhæsisse; quod expressa ejusdem verba docent. *Atrium autem Vestæ domum intelligimus Vestalium, adnexam Templo.*

XV.

Eminet inter cætera *Atrium Libertatis* in monte exstructum *Aventino*, ubi ejus *Deæ Templum* fuisse *Festus* meminit *Pomp.* (ω) diversum ab alia *Libertati* sacra æde, quam *Clodius*, dirutâ *Ciceronis domo*, in ejus dedicavit area, ut auctor est

(τ) in *Topographia Urbis Romæ.*

(υ) in *Commentariis Reipubl. Rom. seu Civitate Romana.*

(Φ) *L. 1. Epist. e. 13 p. 57.*

(χ) *Lib. VII. Æneid.*

(ψ) *Lib. XV. Lect. Antiqu. c. 14. p. 779. ubi commemorat Vestales vi morbi ex atrio Vestæ coactas excedere matronarum cura mandatas fuisse.*

(ω) *Lib. X. ex Livio L. XXXIV.*

est Plutarchus. Idibus ædificatum hoc consecratumque Apri-
libus Ovidio si est habenda fides: (1)

Occupat Apriles Idus cognomine Victor

Juppiter, hæc illi sunt data templa die.

Hæc quoque, ni fallor, populo dignissima nostro

Atria libertas cepit habere die.

Primus quis fuerit Atrii hujus Auctor? non usque adeo cer-
tum est & compertum inter Scriptores. *Svetonius* equidem
cum in ornando laudibus & cumulando *Augusto* occupatur,
curam non tantum ejus & studium proponit, quod in exstru-
endis Romæ splendidis Palatiis propriis etiam sumptibus, do-
mibusque regiis nec non templis ac foris Deorum conden-
dis impendit, sed commemorat in super *Augustum* alios sæpè
principes Viros hortatum esse, ut pro facultate quisque mo-
numentis vel novis vel resectis & excultis urbem exornaret;
commotum inde reputat *Tranquillus* (2) *Asinium Pollionem* (cui
de nato filio eodem quo capta est *Salona* Dalmatiæ urbs an-
no ab eaque *Salonino* dicto tantis verborum cothurnis gratu-
latur *Virgilius*) (3) ut exstrueret Libertatis Atrium. Quem
proinde Conditorem statuit quoque *Paulus Marsus* (4) & *P. Me-
rula* (5) Sed diu ante D. *Augusti* tempora mentionem Libertatis
Atrii facit *Livius* (6) *Tarentinorum* in eo obsides fuisse custodi-
tos affirmans, qui, cum inde profugissent, cæsi virgis sunt & è
saxo dejecti; vid. *Antonius Fanensis*, superius citatus. (7) Acce-
dit, quòd idem hoc Atrium centum & quinquaginta circiter
annis (8) ante *Asinii Pollionis* consulatum à *Sext. Ælio Peto* &
Cn. Corn. Cethego Censoribus resectum legatur atque amplia-
tum

B 2

(1) *Fast. IV.*

(2) *in Augusto c. 29.*

(3) *Bucol. Ecclog. III.*

(4) *in Notis ad Ovid. loc. cit.*

(5) *qui commentatus est ad Ovid. Trist. L. III. Eleg. I.*

(6) *Lib. XXVI.*

(7) *Comment. ad Ovid. Fast. l. c.*

(8) *ut Glareanus in Chronolog. Liviana declarat.*

tum, apud *Historia Rom. Principem* (9) ex quo depromsit, *Mar. Donatus.* (10)

XVI.

Verò igitur videtur simile, *Tranquillum* de renovatione & instauratione Atrii hujus ab *Afinio Pollione*, monente *Augusto*, hoc institutum tempore explicandum esse atque conciliandum; (nam & *Berneggerus* vocem *refectis* pro renovatis ex vetusto & instauratis exponit) eo quidem magis quoniam *Paulus Merula* (11) Bibliothecam, quæ in Atrio Libertatis asservata fuit, *Pollionis* pro invento *Plinii* fortasse verbis adductus venditat, dicitque, quòd *primus Bibliothecam dicando ingenia hominum Romæ Republicam fecerit*: Ipsos hos libros publico omnium dicatos usui sibi verò Poetæ relegato denegatos esse acerbe conqueritur *Ovidius.* (12)

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis

Atria libertas tangere passa sua est.

Eò insuper docti tanquam ad $\lambda\epsilon\chi\eta\nu$ conveniebant memorat *Isaacus Casaubonus* (13) ibidem erat Tabularium, in quo servata Acta publica & signata, teste *Livio* (14) *signatas tabellas publicas clausumque Tabularium* recitante. Ipse *Cicero* Auctor est, eod. in loco quæstiones etiam habitas fuisse, quando tradit. *Quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ in atrio Libertatis.* (15)

XVII.

Quæ *Romæ* extiterint nobiliora porro atria? Scriptores ii docent, qui in delineanda æterna Urbe, in describendo ejus situ; in consignandisque regionibus vicis aliisque notatu dignis suam navavere operam probandam omnibus meritisque extollendam laudibus; inter quos eminent *Marlianus, Panvinius, Lipsius* juxta cum aliis ante allegatis. Liceat unum tan-

(9) L. XXXIV.

(10) vid. annotam. ad *Sveton. l. c. in Aug.*

(11) in not. ante n. 5. citat.

(12) L. III. *Trist. Eleg. I.*

(13) in Not. ad c. 19. *Sveton. in Aug.*

(14) L. XXXIV. XLVIII & alibi.

(15) *Orat. pro Milone.*

tantum atque alterum commemorare atrium. *Pub'icum in* Capitolio *Livius* allegat, diversum à *Regio*, quod circa forum conspiciebatur. Duo alia in *Latomis* recensentur atria, *Mennium Titiumque*, quorum meminit *Coel. Rhodiginus* (16) *Licina atria* *Ciceroni* haud ignota. Tollitur ab *atriis Liciniis* & à *Præconum confessu in Galliam Nevius*. (17) *Tullius* idem *Atrium* habet *auctionarium* (18) in quo, ut in aliis quoque, auctio fiebat. (19) Hinc *Turnebus* colligit, in *atriis Liciniis* & aliis foro vicinis sub auctione *præcones* aliquid vendidisse.

XVIII.

Illud verò cum laude *Atriorum* conjunctum est *Tablina* habuisse eadem & *Pinacothecas*, cereis æreisve, aut marmoreis *Majorum* imaginibus decorata non solum, sed & pretiosis *Virorum clarorum* monumentis ornata fuisse; quæ singula ex instituto pertractat *Dempsterus* (20) cujus expilare *scrinia* nostrum non est. Sufficiat in præsens commemorare, quod *Valerius Maximus* causam alleget, quare scilicet *solis Patriciis Equitibusque* Jus collocandi *Avorum* imagines in *atriis* competierit? ut nempe *Majorum virtutes non tantum posteri legerent, sed imitarentur etiam.* (21) *Juvenalis* verò. (22)

Tota licet veteres exornent undique cera

Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Exactam hujus rei descriptionem sublimique dicendi genere expressam qui desiderat adeat *Poetarum Principem Virgilium, Apulejum quoque Madaurenses* (23.) *Cænare in Atriis Veteres* soliti etiam sunt & epulari, *Deosque colere*, ut dictum supra: *supellectilem ædium* exponebant, *pecunias & pretiosa* quæque asservabant *censumque omnem*, quod ex *Tambmanni* & aliorum ad *Plautum* notis satis superque colligitur,

B 3

col-

(16) l. c. L. XV.

(17) Or. p. Quintio.

(18) contra Rullum.

(19) Cicero de lege Agrar. 4.

(20) l. c. ad Rosin. p. 58. 59.

(21) L. V. 8. 2.

(22) Sat. VIII. 18.

(23) Æn. VII. lib. II. Metam. v. m. 117. ed. Wechel.

collatis cum *Dempstero*. Comoda hinc sese de *Porticibus* agendi offerret occasio, quandoquidem neminem crediderim latere, etiam in his imagines & picturas Majorum repositas numerosisque bibliothecis instructas eas fuisse; quod exemplo *Porticus Liviae* comprobari posset: quae de *Ovidius* (24) non obscure cecinit:

Nec tibi videtur quae priscis sparsa tabellis

Porticus auctoris, Liviae nomen habet:

Nisi angustia certis circumscripta paginarum terminis sententiam mutaret. Hoc solum adjicio, *Porticus* olim Romae erectas esse ad deambulationes & umbras, quas inter admirationem merebatur *Porticus Corinthia*, ad *Circum Flaminium* à *Cn. Octavio* erecta, à aereque *Corinthio* in columnis conspicuo, ita appellata (25) *Porticus Pompeji* tot Poetarum laudibus celebrata; (26) Ne de Atheniensium porticum *Pacile* à varietate picturarum dicta quidquam afferam in medium, videri hanc in rem potest *Excell. KIRCHMAJERUS* noster. (27)

XIX.

Minimè omnium praeterire debeo *Servos*, atriis custodiendis destinatos, ob eamque operam *atrienses* nuncupatos; quorum mentio apud scriptores antiquos juxta ac recentiores *Jctos* etiam tam frequens fieri solet, ut eorundem prolixior tractatio omnem fere paginam complere posset; at limites praescripti in compendium verba cogunt. Nomina sortiti sunt varia, *atrienses* recepta consuetudine (28) *atriarii*, *servi ad limina* (29) *fidi ad limina custodes* (30) *Atrici* à *Jctis* dicuntur qui excubant ad atrium, & ad limina, unde *limenarchae*; *Ἀγία εἰς οἶ. Ἀγία εἰς οἶ* *Taubmanno*. (31) *Dia* scilicet aliis est caenatio, aliis habitatio in hortis *Glossar. Ἀτρία ἢ ὀπρωῶν caenaculum*

(24) *Lib. de arte amandi I.*

(25) *Plinius* & ex eo *P. Merula* in *comm. ad Ovid. l. c.*

(26) *Ovidii* & *Martialis* *vid. Dempsterus.*

(27) *Animadv. ad Corn. Nepot. Miltiad. c. VI. 3. p. m. 57.*

(28) *Cicero Parad. V. Apulejus de Mundo p. m. 68.*

(29) *idem II. Met. seu de Asino.*

(30) *Aeneid. IX.*

(31) in *Not. ad Plauti l. c. Pseud. Act. II. sc. 2.*

lum, Sidonius etiam meminit hujus. Ex triclinio in dietam seu Cœnatiunculum fit transitus; *Δαίτῃσι* igitur servi sunt atrienses, tricliniarii; qui ab officio, quo inter cœnam, in atrio sumtamungebantur nomen sortiti sunt; multum tamen diversi à servis *Mesauliis*, quorum meminit *Homerus*. (32)

Σίτον δὲ σφιν ἔνειμε μεσαύλιος &c.

Σίτον μὲν σφιν ἀφείλε μεσαύλιος.

Hos fortè eosdem fuisse cum *Mediastinis*, qui in media domo ad imperia omnium excubare solebant *Mesaulii* arguit vocabulum, quod mediam januam vel in aulae meditullio locum designat; vilissima certe erant *Mediastinorum* & abjectissima munia ita ut cum lignariis, baculariisque in aulis Principum, focariis, scopariis aliisque his similibus comparari jure possint; quippe qui sordidioris operæ homines unâ illâ functione contenti fuerint, ut omnibus parerent. *Seneca* testis est servos hos *Mediastinos* ignominiosa sortitos officia esse, quæ citra injuriam corporis exhiberi vix possent. (33) Vid. *Cæl. Rhodiginus* qui & *Mesonautas* comparari in navibus genere servitii defunctos præeunte *Ulpiano* huc referre conatur. (34) Nostri vero atrienses honestissimo præ servis reliquis loco & gradu ab ipso *Tullio* dicuntur fuisse, qui juxta cum *Plauto* inter lautiores servos numerat. (35) *Quid istuc verbi est?* *Ps. Conduis promus sum, procurator peni.* *Ha. Quasi Te dicas atriensem;* & alibi *Plautus* (36) *Extemplo facio facetum me atq; magnificum Virum, dico me esse Atriensem.*

XX.

Jure itaq; meritoq; ferre non potest Gallorum doctissimus *Petrus Faber*, quod apud *Ulpianum* atriarii focariis adjungantur (37) (*l. i. §. Caupones. D. Nauta, Caupones, stabularii*) & in me-

(32) *Odysf. XIV. p. m. 410. edit. Argentor.*

(33) *Lib. II. de Tranqu. Vita c. 15. Quod tamen in servis etiam probrosum atq; postremum est vel Imp. test. l. 39. Cod. Theod. de Decur.*

(34) *Leß. Antiqu. L XXV. c. 20. edit. fol. p. 1408.*

(35) *l. c. Plautus Pseud. Act. II. Sc. 2.*

(36) *Asin. Act. II. sc. 2. & 4.*

(37) quem *Heigius* quoq; in *Comment. ad §. Pœna Inst. de Injuriis sequitur p. m. 423.*

104
mediastinorum ponantur numero, ac, (ut ille scribit) (38) si locus est integer ut atriariorum locum ostiarii (quos cum veteri more in catena essent ad ostium (39) ideò catenariis canibus comparat & in extremis mancipiis cōnumerat *Seneca* (40) subire non debeant. Idem tamen *J. Ctus Sanjorianus* alienos atriarios ab atriensibus fuisse existimat, ita quidem, ut hi minoris maculæ, illi verò minus honesti, veluti quidam horum vicarii dicendi, qui forsitan atrium verterent, atq; ad atrium perpetuo, tanquam ad ostium ejus observandi gratiâ starent; Cum *atrienses* atrio præfecti; ne quid ex imaginibus, stematibus *Tablinisq;*, ac cæteris in atrio reponi solitis (41) deperiret, curam gererent; quomodo *fornacarios à fornacatoribus*, quorum auctores nostri meminerunt, diversos ac separatos esse tentari potest. Ad extremum officia recenseamus atriensium: Bonis illi præpositi & rationibus dominicis *actores servi* (si *Justiniani* S. Imp. voce uti licet §. alieg. servum actorem cui certæ partes aut bonorum omnium juxta *Heigium* credebatur procuratio, à mediis actus homine & vilissimo vel compedito distingventis) observabant atrium, supellectilem ædium exponebant, & ut omnia munda præstarentur ac integra curabant. *Stuckius* supra laudatus *atrienses* cum *atriariis* conjungens eorum communia adducit commiscetque munia. *Servi atriarum*, inquit, seu *atrienses* dicebantur, qui *supellectilem, signa, tabulas, ælatum argentum custodire, tergere, verrere, spargere exponere solebant, ut ex Columell. Lib. XII. c. 3. & aliis ex locis constat, qui etiam Supellecticarii videntur in Jure dici: Hodiè qui in Conviviis solennioribus vasorum aureorum atq; argenteorum custodia præest, argenti Magister vulgò Silber Meister appellatur. (42) Hoc ex inde elucescit certumq; deniq; evadit, honoratiores fuisse atrienses & in tota familia potuisse plurimum, quod *Plauti & Servii ad Æn. IX.* auctoritate stabilitur atq; roboratur.*

TANTUM.

(38) *Semestr. II. c. 12. p. 158. edit. Lugd. G. 1590.* (39) *ut de Orestilio quodam Rhetore Svetonius in libro de Cl. Rhetor. Brodæus c. 3. L. IV. Miscell. ubi hunc Ovidii versum ex l. Am. citat E. 6. Janitor indignè durare ligate catena loquitur. Digniores tñ. fuerunt ostiarii Sacri de quibus Duarenus de Sacr. Eccl. Minist. L. l. c. 14. p. 99. (40) L. III. de Irac. 37. (41) P. Faber l. c. (42) Ant. Conv. L. II. c. 21.*

T. O. A.





ULB Halle
002 120 747


3




TA-200

lora







B.I.G.

Farbkarte #13

V.
PHILOLOGICA
IOR,

IIS,

DE
ALTASARE
AGIO,

ndet
US APINUS,
CUS,
R G Æ,
anno M. DC. XCI.

MIN.
G Æ,
DTERI, Acad. Typ.

1681

3
5
20

LXV

